

# 465 Disp.XIII. de spectant: ad animā veget: 466

aliquid specificatur ab illo: at quod habet consequentem, nego; quod autem potentia habeat esse respectivum, illud habet consequenter, proindeque non specificatur ab illo.

*Oblig. tertii.* Obijes tertio ex Aristotele, & maiori parte Philosophorum: Potentia specificatur ab actibus, & obiectis, quæ propositio velut axioma recipitur in philosophia.

*Rsp.* Respondeo hoc esse verum in aliquo sensu, de duplice specificatione distinguendo, nimirum à priori, & à posteriori: specificatio à priori est, quæ res ponitur in determinata specie, sicutamque

sortitur essentiam: at specificatio à posteriori est, quâ nos per aliquam rei proprietatem ad eundem rei quidditatem deuenimus: si ergo dicta proppositio intelligatur de specificatione à posteriori, vera est; quia ab obiectis ad notitiam potentiarum peruenimus, à colore ad potentiam visuam, à sono ad audituam, & in hoc sensu vera est opinio D. Thomæ: si vero intelligatur de specificatione à priori, quæ certè vera est specificatio, falsa est ita propositio, & Thomistarum sententia, ut ex hac tenuis dictis liquet.



## DISPUTATIO DECIMA TERTIA. DE SPECTANTIBVS AD ANIMAM VEGETA- TIVAM.

*Aperitur Disputationis status.*

*De anima  
vegetativa.*



AM descendimus ad species animalium in particulari ab imperfectiore sumentes exordium, nimirum vegetatiū, exinde ad sensituum gradum facturi, denique ad intellectuum.

Circa anima vegetatiū substantiam nihil speciale occurrit examinandum, quod non facile colligatur ex dictis in Physica de forma in uniuersum, aut in hoc tractatu de anima in uniuersum, superest ergo solūm de eius potentijs inquirere. Potentia autem anima vegetatiū communiter tres assignantur à Philosophis, nutritiū videlicet, augmentatiū, & generatiū, quarum plena discussio potius ad medicos, quam ad Philosophos spectat, vt pote quomodo fiat nutritio, quomodo generatio? de spiritibus vitalibus & animalibus, efformatione cordis, & huiusmodi, de quibus legi possunt Conimbricenses in caput quartum, & quintum primi de generatione, alijque Philosophi.

Solummodo hæc pertractabimus circa potentias vegetatiū. Primo quot sint potentias anima vegetatiū? Secundo an nutritio, & augmentatio sint mutationes realiter inter se distinctæ? certum quidem est earum potentias non distingui realiter, vt habetur ex 2. partitione superioris disputationis, sed tantum formaliter. Tertio an nutritio fiat successiū, & continuè, vel in instanti? Quarto an idem permaneat numero viuens in senectute, & in pueritia? Quæ quatuor totidem partitionibus exequemur; Interim potentiam generatiū pluquam sufficiens ab Hurtado de Mendozā in libro de anima expositam, atque explanatam omittentes.

\*\*\*

**S V M M A**  
Dicendorum in hac disputatione decima tertia.

**N**UMERO primo. Afruitur ternarius potentiarum anima vegetatiū numerus. Numero 2. Potentia nutritiū non est temperamentum. Numero 3. Explicatur modus, quo fit nutritio. Numero 4. Quomodo distinguitur nutritio ab augmentatione in opinione Nominalium? Numero 5. Quomodo distinguantur nutritio & augmentatione secundum Reales? Numero 6. Respondet Nominales rationibus Realium. Numero 7. nutritio fit continuè, & successiū probatur. Numero 8. Augmentatione fit continuè & successiū. Numero 9. Quomodo distinguantur diminutio, & augmentatione? Numero 10. An eadē actione alimentum conuertatur, & animalia viuent? Numero 11. varijs modis explicandi, quomodo idem sū numero viuens in innentute, & senectute.

### Partitio I.

*Quot sint potentiae anima vegetatiū?*

**Q**uedocet hoc non conueniunt medici, & Philosophi; nam Aristoteles, & cum eo Peripateticī omnes tantum tres potentias vegetatiū admittunt, nutritiū, augmentatiū, & generatiū: at præter has varias alias addunt medici vt attractricem, retentricem, concoctricem, & huiusmodi: porro materiam hanc exanimant Philosophi, sicut & contentam in subsequentiis tribus partitionibus, aut in primo de generatione circa caput 4. aut 5. vel in secundo de anima, postquam egit Aristoteles de anima in uniuersum.

**DECIM-**